ad quod fieri debet. Illi quidem qui ad solam carnis commixtionem consentiunt, et tali consensu coniuges
adhuc dici non possunt, sed tantum fornicantes et adulterium facientes, a quibus coniugalis castimoniae
nomen procul abesse cognoscitur. Sed aliud illud est cum consensus inter masculum et feminam coniugium
facit. Sed haec quidem (?) dictum est, non societas illa quam inde scriptura a principio inter masculum et feminam insti-
tuit, quando mulierem de latere viri formatam ei sociavit. Quae ut socia data est non ancilla aut
domina, ideo non de summo neque de imo, sed de medio fuit producenda. Si enim de capite fieret, de
summo fieret, et videretur ad dominationem creata. Si autem de pedibus fieret, de imo fieret, et videretur ad ser-
vitutem subicienda. Propterea de medio facta est, ut ad aequalitatem societatis facta probaretur. In hoc tamen quod de illo,
inferior ipso est, quia facta est de ipso, ut ad ipsum semper quasi ad principium suum respiceret, et ei individue
adherenda ab ea se quae ad invicem constare debeat societate non separaret. Haec societas socie-
tas coniugium est, quae federe sponsionis mutuae conficitur, quando uterque voluntaria promissione
debitorem se facit alteri, ut deinceps neque ad alienam alterutro vivente societatem trans-
eat, neque se ab illa quae ad invicem constat societate disiungat. Ad hoc quod societatis
consensum, si etiam carnalis commixtionis consensus in prima federatione coniungitur, eidem commi-
xtionis debito coniugati pari modo ad invicem constringuntur. Quod si forte in federati-
one coniugii utrinque pari voto consensus carnis remittitur, procedente deinceps
coniugati debitorem ad invicem non tenentur (?). Quod ita ab utrisque pari consensu dimissum est
voto firmatum est, nullo pari modo ab altero exigi non potest, et tamen firmum stat coniugii sa-
cramentum. Cum (?) virtute copula carnis sic non efficit, cum adest, ita et si defuerit tollere non potest.
Talis itaque consensus in individuali vitae consuetudine retinendae est dicendus: quia ad hoc factus est ut
mutua societas quae ad invicem per ipsum initiata est utroque vivente amplius discidium
non patiatur. Qui ergo diffinire voluerit coniugium, dicere potest coniugium esse consensum legitimum,
hoc est inter legitimas personas, et legitime factum masculi et feminae ad individualem
vitae consuetudinem observandam. Siquidem consensus copulae carnalis communi pari
voto aut factum non contradicit aut non factum laudat. Quando coniugium esse incipiat.

Si quis autem quaerit quando esse coniugium incipiat, dicimus quia ex quo talis consensus qualem superius dif-
finivimus inter masculum et feminam factus fuerit, ex eo statim coniugium est, quamvis nondum
et si postea copula carnis sequitur, nichil tamen coniugio amplius ad virtutem sacra-
menti confert. Unde constat quia si fuerit vir vel mulier post talem consensum ad alienam soci[illegible]

License: CC-BY-NC – Engelberg, Stiftsbibliothek, Cod. 90, f. 72r – Hugo de S. Victoris, De sacramentis fidei christianae (http://www.e-codices.ch/fr/bke/0090/72r)